

quod à Græcis leges petierint Romani, ac præterea vel imperitia vel astutia Decemvirorum ex modo, quem in conficiendis legibus duodecim tabularum adhibuerunt, elucet, ita jam diu apud Gellium contra æquitatem legum harum, & non absque ratione disputatum fuit, eaque maxime ex prohibitione conjugiorum inter Patres & plebem apparet.

7. Interim tamen, cum leges XII Tabularum nihilominus sint fons omnis sequentis juris Romani, & leges sequentes fere pro augmentis earum haberi debeant, non parum impedit studium jurisprudentiæ, quod hodie Legibus XII Tabularum plane careamus.

8. Pauca erant & breves pro moribus illorum temporum Leges XII Tabularum, atque tali loquendi genere utentes, quod subsequentiis seculis Romani ipsi mutato idiomate vix intelligerent.

9. Propter paucitatem verò ac brevitatem mox orta est interpretatio prudentum & disputatio fori, quæ primis temporibus tacito populi consensu vim juris obtinuit, atque propria parte aliqua non appellatur, sed communi nomine vocatur jus Civile, item media jurispru-